



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Summum bonum appetendum est, 34

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

est salus facta , quam jucunda est salus , quæ facit omnium salutem ? Si amabilis est sapientia in cogitatione rerum conditarum , quam amabilis est sapientia , quæ omnia fecit & condidit ex nihilo ? Denique , si multæ & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus , qualis & quanta est delectatio in eo , qui ipsa delectabilia fecit ? O qui hoc bono fruetur , quid illi erit , quid illi non erit ? Certe quicquid voluerit illi erit , & quid noluerit , non erit . Ibi quippe illi erunt bona animæ & corporis , qualia nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit .

## C A P V T XXXIV.

*Summum bonum appetendum est.*

1. **C**ur ergo per multa vagaris homuncio , quarendo bona animæ tuæ & corporis tui ? Ama unum bonum , in quo sunt omnia bona , & sufficit . Desidera simplex bonum , quod est omne bonum , & satis est . Quid enimamas caro mea ? Quid desideras anima mea ? Ibi est quicquid amas : Ibi est , ibi est , quicquid amatis , quicquid desideratis . Si delectat pulchritudo , fulgebunt justi sicut sol . Si velocitas , aut fortitudo , aut libertas corporis , cui nihil obsistere poterit , erunt similes Angelis Dei ; quia seminatur corpus animale , surget corpus spirituale ; potestate utique , non natura .

2. Si longa aut salubris vita : ibi erit sana æternitas & æterna sanitas ; quia justi in perpetuum vivent , & salus justorum à Domino .

Si

Si satietas , satiabuntur cum apparuerit gloria Domini. Si ebrietas : inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia : ibi Angeli concinent sine fine Deo. Si quælibet non immunda , sed munda voluptas : torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus. Si sapientia , ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsum. Si amicitia : diligent Deum plusquam seipsum, & invicem tanquam seipsum, & Deus illos , plusquam illi seipsum , quia illi illum , & se & invicem per illum ; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia: omnibus illis erit una voluntas ; quia nulla in illis erit , nisi Dei summa voluntas.

3. Si potestas: omnipotentes erunt suæ voluntatis , ut Deus suæ. Nam sicut Deus poterit quod volet per seipsum ; ita poterunt illi quod volent per illum : quia sicut illi non aliud volent , quam ille volet , ita ille volet quicquid illi volent : & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & divitiae : Deus servos suos bonos & fideles supra multa bona constituet: immo filii Dei & Dii vocabuntur & erunt: & ubi erit unicus ejus , ibi erunt & illi hæredes quidem Dei , cohæredes autem Christi. Si vera securitas: certe ita certi erunt, nunquam ulla tenus illud bonum sibi defuturum , sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros , nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitatis ablatum , nec aliquid Deo potentius , Deum & illos separaturum. Gaudium vero quale quantumve est , ubi tale ac tantum bonum est !

C A-